OFFICIVM
MAGISTRATVS
CHRISTIANI
CIRCA
SACRVM MINISTERIVM,

Quà publicum & externum, ex praxi Veteris Ecclesiæ & Iudiciis Primorum inter Reformatos Theologorum.

Adjecta sunt ad calcem Responsa duo ad totidem Quæsita de supplicio Abiathari & Institutione Sadochi, 1. Reg. cap. 2. vers. 26.

A. C. E. M. G.

Esaiæ cap. 49. vers. 23.
Erunt Reges nutritij tui, & Reginæ eorum nutrices tuæ.

AVRISTADIJ.

Typis *Petri Aretini*. M. DC. XLVIII.

LECTORI
S. P.

SVNT qui potestatibus supereminentibus, omne in personas ac res Ecclesiasticas imperium eripiunt. Alij ex adversò, functiones confundunt, & Magistratui deferunt ex asse ἐπισκοπὴν internam: quid verò sit officij Principum Christianorum circà Ecclesiam, præsertim in instituendis & removendis Episcopis, presbyteris, aliisque, constans priscæ Ecclesiæ praxis, & accuratissima hæc summorum Theologorum judicia abunde docebunt.

OFFICIUM MAGISTRATUS CHRISTIANI.

PRAXIS VETERIS ECCLESIÆ.

AD communem plurium aut omnium Ecclesiarum gubernationem, hoc primum seculo, Imperatorum Christianorum accessit cura & autoritas, & nervus in rebus externis. Nam pij Imperatores, de suo officio edocti, agnoverunt, Magistratum, quantum ad externa, custodem primæ & secundæ tabulæ à Deo esse constitutum. Vnde *Eusebius* narrat, se audiisse Constantinum ad Episcopos in concilio dicere: *Vos quidem eorum quæ intus sunt in Ecclesiâ agenda; ego verò eorum quæ extra sunt, Episcopus à Deo* *Magdeburg cent. 4. cap. 7.*

ſum conſtitutus. Et ipſe quidem *Euſebius*, eundem quaſi communem Epiſcopum à Deo conſtitutum eſſe, dicit. Quid? quod Conſtantinus ipſe, in Epiſtolâ ſuâ ad Nicomedienſes, ſe miniſtrum Dei, vt qui habeat poteſtatem Epiſcopos improbos coërcendi, appellat? apud *Theodoretum*.

Vocationes & ordinationes Epiſcoporum, maximè verò metropolitanorum, confirmare, penes Imperatores quoque erat. Hinc Conſtantius ad Liberium inquit: *Nos quod Chriſtianus eſſes, dignum te judicavimus Epiſcopatu vrbis noſtræ. Theodoretus.* Idem cùm veniſſet Conſtantinopolim, & cognoviſſet Paulum eſſe deſignatum Epiſcopum, moleſtè tulit, quod Epiſcopatus concreditus eſſet indigno: & convocatâ Synodo, eum ab Eccleſiâ repulit; & Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo, Conſtantinopolitanam Eccleſiam tradidit. *Sozomenus, Socrates.* Valentinianus electionem & vocationem Ambroſij, à Synodo factam, approbavit. *Theodoretus.* Theodoſius Nectarium Conſtantinopolitanum Epiſcopum elegit; & ordinationem ejus approbavit. *Theodoretus, Sozomenus.*

cent, 6. cap. 7. Etiam hac ætate Imperatores ædificationem Eccleſiæ, pro ſui officij ratione, promoverunt. Nam, vt idonei & ſalutares

res præficerentur Ecclesiis amplioribus Doctores, curam egerunt. Sic Theodoricus Quintianum Arvernensi Ecclesiæ prefecit Episcopum. *Gregorius Turonensis.*

Ommarus, jussu Clodomeris Regis, apud Turones ordinatur Episcopus: & postea à Chrotilde Reginâ Theodorus & Proclus. *Turonensis.*

Et Theovaldus, convocatis sacerdotibus apud Metensem civitatem, Episcopum Arvernæ Ecclesiæ ordinari curavit. *Turonensis.*

Clotharius Domnolum Cenomanis Episcopum præfecit. *Idem.*

Mortuo Remigio Biturigum Episcopo, cum multi Gunthrano munera offerrent, ad Episcopatum acquirendum, respondit: *Non est principatus nostri consuetudo, sacerdotium venundare precio; sed nec vestrum, eum præmiis comparare: Ne & nos turpis lucri infamiâ notemur; & vos Simoni Mago comparemini, sed juxtà Dei præscientiam, Sulpitius nobis erit Episcopus Turonensis.*

Scelera Episcoporum & Ecclesiasticorum puniebant. Iustinus Anastasium, ob nimis largè distributas sacras pecunias, sede suâ expulit. *Euagrius.*

Ordinationem Episcoporum, & aliorum ministrorum præcessit electio; quæ *cent. 7. cap. 6.*

facta est suffragiis populi & aliorum Episcoporum in viciniâ: teste *Cabillonensi Concilio*, & *Vincentio*, qui dicit, *Projectum* Arvernensem Episcopum, à clero & populo fuisse electum.

A Magistratu tamen necesse fuit peti assensum & confirmationem; vt inquit Christophorus Gradensis, apud *Sabellicum*, de suâ provinciâ: *Sacerdotia, quibus à clero populoque decreta fuerint, Dux Venetus per manus tradat.* Ita in electione Pharaonis, Episcopi Meldensis, populus eligit; & assensum petit à Lothario Rege. *Vincentius.*

cap. 7. Imperatores & alij gubernatores politici, etiam hâc ætate, pro suo officio juverunt Ecclesiæ ædificationem. Nam vt idonei & salutares præficerentur Ecclesiis amplioribus Doctores, curam egerunt. Sic Pipinus, victo Frisonum duce, Willebrordum Genti illi Episcopum misit. *Sigebertus in Chronico.* Osuvius misit Ceaddam, virum sanctum & eruditum, Cantiam: vt Eboracensis Ecclesiæ ordinaretur Episcopus. *Beda.* & Clerus Antiochenus petit, à Synodo Constantinopolitanâ, vt apud Imperatorem intercedat; & in Locum Macarij alium Archi-Episcopum substituat. actione 12. Constantinopolitanæ.

In

In Episcoporum Metropolitanorum & Archi-Episcoporum electione & vocatione, vicinorum Episcoporum & magistratus requirebatur consensus. Sic Metensis per legatos à Pepino petunt, vt alium substituat Episcopum, pro Sigibaldo Mortuo. *Autor vitæ Crodegangi.* cent. 8. cap. 6.

Adrianus Papa, in Synodo 153 Episcoporum & Abbatum, dedit Carolo jus eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem, dignitatem quoque Principatus, scilicet Romani: Insuper Archi-Episcopos, & Episcopos per singulas provincias ab eo investituram accipere definivit: & vt, nisi à Rege laudetur, & investiatur Episcopus, à nemine consecretur: omnesque huic decreto rebelles Anathematizavit. Anno Domini 773. *Sigebertus* & *Blondus.* cap. 7.

Carolus contulerat Episcopatum nobili adolescenti, sed cum vidisset eum gestientem in sellam equi insilire, revocato dixit: video ex moribus & gestibus tuis te bello aptiorem, quam Episcopatui; vbi oportet esse viros pietatis & bonorum morum exemplaria. Tu igitur mecum ibis contra hostes militatum: alij magis idoneo munus Episcopi imponemus, *Nauclerus*. Et *Mutius* testatur Carolum, etiam alios, ob mores Pastore indignos

dignos non modo reprehendisse; sed etiam ab officio dejecisse.

cent. 9. cap. 6. In Episcoporum, Metropolitanorum & Archi-Episcoporum electione & vocatione, vicinorum Episcoporum & Magistratus requirebatur consensus Luitpertus Episcopus, ad clerum & populum Coloniensem inquit: Si electionem nobis à Rege concessum despicitis; in arbitrio & potestate Regis est, quem nobis velit dare Episcopum. *Regino.*

cap. 7. Ludovicus Ansgarium Hamburgensi Ecclesiæ præfecit. anno 814. *Chronicon Saxoniæ.* Et Trajectensi Fridericum. *Raynulphus in Polychronico.*

Alphredus Rex Anglorum, neminem illiteratum, ad quamcunque dignitatem Ecclesiasticam, adhiberi permisit. *Idem.* Dunewolphum, literis excultum, Vintoniensi præfecit Ecclesiæ. *Idem.*

Ludovicus, nemini Ecclesiasticam dignitatem contulit, ob pecuniam: sed probè observavit, qui doctrinâ & bonis moribus ornati essent. *Regino.*

Pappo, Dux Thuringorum, & Arnulphus, in sedem Moguntinam collocant Sunzonem Monachum Fuldensem. *Regino.*

Hac tempestate erat magna Regum super Ecclesiis dispositio: Nam vacanti-

bus

bus dabant ipsi pontifices, quos à Papâ confirmari poscebant.

Romani quoque fidem dederant Imperatori Otthoni Magno; nunquam se, præter ipsius aut filij consensum, Pontificem deinceps electuros. Verum Imperatore apud Camerinos agente, ipsi, juramento postposito, Iohanni, quem ejecto Leone receperant, è rebus humanis exempto *Benedictum* quendam substituunt; postea ad Imperatorem suos mittunt legatos, consensum ejus requisitum. Imperator, suam in electione autoritatem neglectam ægre ferens, legatos in suum conspectum admittere noluit: admotoque ad vrbis mœnia exercitù, ferro & commeatus inopiâ, in suum obsequium eos coëgit; ac Leonem cujus paulo ànte electionem ipse ratam habuerat, restituit: vt *Antonius* & *Crantzius* testantur. Qui postea, & clerum, & populum Romanum, omni Pontificem eligendi jure, in Synodo quadam (vt suo loco dicemus) privavit, solique Imperatori tradidit: vt ex *Martino Cusensi Blondus*. *cent. 10, cap. 6.*

In primis verò Imperatores, jus & potestatem creandi Pontificem habuere. Ius autem eligendi Pontificem Romanum, ideo Leonem Otthoni concessisse, ait *Martinus Polonus*; quia Romani subindè suos intrudebant. Romani igitur *cap. 7.*

tur proceres jurant, se nunquam ordinaturos Papam, sine consensu atque electione Imperatoris. *Luitprandus*.

Imperatores ipsi Episcopos dederunt & confirmarunt: Nam Landovardus, Mindensis Episcopus, primus inter omnes antecessores suos, regalia suscepit de manu Imperatoris Otthonis. I. Anno 961. Apud Forchem. 7. Idus Iuly.

Episcopos & presbyteros sui officij commonefaciebant. Rutbertus, Archi-Episcopus Trevirensis, & Richardus, Tungrensis Episcopus, coram Rege infidelitatis arguuntur: verum liberantur crimine. *Continuator Reginonis*.

Minus idoneos ab officio removerunt. Sic Ottho Imperator, Romæ in Synodo, Iohannem Papam seu potius Leonem Romanum deponit; atque alium, Leonem nempe, substituit: Item Benedictum à Romanis electum. *Luitprandus* & *Continuator Reginonis*.

Scelera & peccata Episcoporum & aliorum Ecclesiasticorum prohibebant, & puniebant. Sic Ottho Imperator perjuros; Fridericum, Moguntinensem Archi-Episcopum, Hamburgum relegavit (*vt habet Witechindus*) vel Fuldam: (*vt scribit Continuator Reginonis*) Rudberdum verò Strasburgensem, Corbeiam misit.

Verum

Verum eos postea in gratiam recepit. *Witechindus*.

Romani Pontificis electionem à solo Imperatore fieri debere, decreto quodam Sanxit Henricus II. Imperator, Clemente II. suffragante: Id quod Romani interposito juramento amplexi sunt. Verùm Imperatore abeunte, ipsi contra fidem datam pristinos induerunt mores. Ac quò quis vel magiâ vel largitionibus vel factionibus, & nescimus quibus non sceleribus, excelluit, eò facilior ad tantum fastigium conscendendi fuit occasio; vt ex vitis eorum patebit. *cent. 11. cap. 6.*

Imperatores Episcopos Romanos eligebant & confirmabant. Henricus III. Sacerdotes, Flamines, Senatum Populumque Romanum, nullum posthæc Pontificem Maximum capturos, nisi quem Cæsares more majorum legerint, jurare adigit. *cap. 7.*

Puniebant facinerosos, seditiosos, contumaces. Sic Mediolanensem & Cremonensem Episcopos, quod contrà Imperij dignitatem deliquissent, Conradus Imperator cepit & exilio mulctavit. *Chronicon Cosmidronij*.

Deposuerunt non legitimè electos & substituerunt alios. Paschali Gelasius Romæ succedit, at Henricus V. qui electio- *cent. 12. cap. 7.*

ni

ni non interfuerat, Burdinum quendam Hispanum Pontificem constituit. *Sigeberti Continuator.* Contra Petrum Leonis, Lotharius Imperator Innocentium Pontificem esse jubet: vt referunt *Sigeberti Continuator & Dodechindus.* Guido Cremensis, Octaviano defuncto, Imperatoris Friderici jussu Anno 1164. in Papatu est suffectus. *Phrygio.*

Dederunt ipsi Episcopos & Doctores, Heinricum Magdeburgicis & Robertum Herbipolensi, Cunradum Iuvaniensi, Ecclesiis, Episcopos præfecit Henricus V. Imperator. *Appendix Mariani Scoti.* Cùm de coronatione, & jure electivo, in creandis Pontifice & Episcopis cùm Paschali ageret idem Imperator; consensit Episcopus Romanus; vt hanc sibi prærogativàm vsurparent Cæsares, ne quis vel Pontifex, vel Episcopus, citrà eorum suffragium designaretur. *Jacobus de Strada.* Anno 1136. Stephanus, Angliæ Rex, investituras Prælatorum sibi reservat. *Mattheus Parisiensis.* Anno 1176. Pace inter Scotum & Angliæ Reges sancitâ; Anglo hoc juris inter reliqua est concessum, vt Episcopatus, Abbatias, aliosque honorum gradus, pro libitu distribueret. *Continuator Sigeberti.*

BIL-

BILSON, cap. 15. sui libri

de

ECCLESIÆ GUBERNATIONE.

IMò verò Henricus primus, Gulielmi Conquestoris filius, per procuratorem suum seriò Papæ significavit, nolle se pro regni amissione investituras Ecclesiarum amittere.

Ex Matth. Paris. in Henr. I. Anno 1103.

IVDICIA PRIMORVM Inter Reformatos Theologorum.

MELANHTHON.

1.part. consil. theol. ad quæst. an Magist. deb. mut. imp. cult. &c. Anno 1537.

QVEREBANTUR Donatistæ, se à Magistratibus puniri cum caussa esset Ecclesiastica, sed Augustinus respondet, id rectè fieri, & hæc decreta ac exempla piorum Imperatorum allegat; quare manifestum est ad Magistratus officium pertinere, vt aboleat impios cultus, & puniat blasphemos & malos Doctores. Hæc sententia cum sit certissima & firmissima, cum sit manifesta voluntas Dei, valde reprehendendi sunt Principes, qui tolerant impios cultus, & concedunt impiis Doctoribus licentiam vociferandi ad populum.

Cessantibus Episcopis, aut si ipsi Episcopi falsa doceant, reliqua Ecclesia debet malos pastores ab officio removere, & in quolibet cœtu præcipua membra cæteris præire debent, & juvare alios, vt emendetur Ecclesia. Principes & cæteri Magistra-

gistratus debent esse præcipua membra Ecclesiæ, ergò necesse est illos hanc emendationem inchoare & adjuvare. ——Ita quandocunque constat doctrinam esse impiam, nihil dubium est, quin sanior pars Ecclesiæ debeat malos pastores removere, & abolere impios cultus, & hanc emendationem præcipuè adjuvare debent Magistratus, tanquam potiora membra Ecclesiæ.

Cumque Principum & Magistratuum munus præcipuè debeat ornare gloriam Dei, cum ipsorum sententiam reliquus populus intueatur, oportet eos, tanquam præcipua membra in externa societate, suâ autoritate veram Ecclesiam adjuvare, removere impios Doctores, præficere pios. *Ibidem ad 2. argument. adversario.*

BULLINGERUS.

Si qui abutuntur jure illo per tyrannidem, cogantur in ordinem à Sancto Magistratu, vel transferatur ab eis jus designandi ministros: Satius est enim eligendi munere seniores aliquot ex Regis vel Magistratus jussu defungi. *De Episcop. instit. & funct.*

In illis ipsis libris (Regum) proditum est, à Sanctis Regibus etiam Summos Sacerdotes ab officio fuisse amotos, & alios in locum constitutos; cæterum non præ-

ter meritum ejus abjiciebatur neque quicquam hic actum est contra leges Dei.

BUCERUS.

Defens. reform. Archi-Episc. Colon. cap. vlt.

Episcopi, Principes, & singuli Magistratus, quos Deus agnitione ac zelo regni sui donavit, debent de idoneis concionatoribus providere, eos vocare, subditisque suis præficere.

In Epist. ad Rom. cap. 13 ad quæst. an potestas quæ gladium gestat suprema sit.

Orandus Deus, vt eos quibus ipse gladium dedit, doceat. Etiam eo ligitimè vti, & imprimis dare operam, vt doctrina & vita eorum rectè habeat, qui in hoc constituti sunt, vt sint sal terræ & lux mundi. Nam vt ipsi vel per Synodum, vel ratione alia rebus Ecclesiæ consulant qui expectat, is expectat uvas à sentibus & ficus à spinis.

MUSCULUS.

In locis commun. loco de Magist.

Principio constituet Ecclesiarum ministros, vbi illi desiderantur, sive eligat eos ipse, sive ab aliis jussu ipsius electos confirmet. Neque enim convenit, vt præter authoritatem potestatis publicæ publica quisquam munera in Ecclesiâ obeat. Dices: at secus factum est in primis Ecclesiis, in quibus à ministris ac plebe eligebantur Ecclesiarum antistites. Respondeo: talis tum Ecclesiarum erat

status,

ſtatus, vt aliter non eſſent eligendi miniſtri, propterea quod Chriſtiano Magiſtratu deſtituebantur. Si revocas temporum illorum mores, primum conditiones ac ſtatum quoque illorum revoca.

Præterea diſponet miniſtrorum ordines, pro neceſſitatibus Eccleſiarum, vt quiſque juxtà quod à Domino accepit, gregi Dominico vtiliter ſerviat. Inutiles fucos procul à præſepibus arcebit. Peccantes miniſtros corripiet & emendabit. Eccleſiam improbitate vitæ offendentes, aut inſanâ Doctrinâ ſeducentes, ab officio deponet, diſſidentes componet, contentioſos compeſcet: magnoque ſtudio curabit, vt pax & concordia miniſtrorum ad Eccleſiarum ædificationem retineatur.

MARTIJR.

Addendum præterea eſt, non ſolum quo ad iſta quæ recenſui miniſtros Magiſtratui ſubjici, ſed etiam (vt inui ſuperius) quò ad functionem: quia ſi non rectè doceant, nec ex ordine adminiſtrent ſacramenta, Magiſtratus eſt eos in ordinem cogere, ac videre ne impurè doceant, neve fabulas admiſceant, neve ſacramentis abutantur, aut aliter ea tradant quam Dominus juſſerit. Item ſi *In comment. in lib. Iudic. ad cap. 19.*

malè ac perditè vivant, eos rejiciet à sacro ministerio. Hoc Salomon fecit, qui Abiatharum dejecit, & Zadocum ei surrogavit. Vt habetur 1. lib. Melachim cap. 2. & in Novo Testamento Iustinianus summovit Silverium & Vigilium, quod etiam ab aliis Principibus quandoque factum non dubito: Quam verò juste in præsentia non dico: Hoc vnum dico, id eis licuisse in causis jam adductis. At quispiam dicet, me de facto nunc loqui, non de jure; imò equidem de jure quoque, nam Regem oportet descriptam habere legem Domini, quod esset ordinatus custos, non tantum prioris, verum & posterioris tabulæ. Propterea qui offendisset in alterutram, incurrebat in ejus potestatem.

Aharon profectò, cum Summus esset Sacerdos, graviter lapsus est, conflando vitulo aureo, & obsequendo stultitiæ populi. Moses eum accusavit graviter, quem constat fuit civilem Magistratum. Nam sub finem Deuter. appellatur Rex. Et cum Sacerdotes abuterentur pecuniâ, quæ ad sacra tecta templi offerebatur, quis remedium adhibuit, nisi Rex Ioas?

Quid si ego doceo, quandoque Pontificem fuisse consecratum à civili Magistratu? Certè Moses consecravit Aharonem,

nem, cum tamen (vt dictum est) Moses fuerit civilis Magistratus.

Quid ergò inquies: An imperabit Magistratus ministris & concionatoribus. Respondeo: Verbum Dei & sacramenta nulli potestati subjiciuntur. Ministri autem subjiciuntur bifariam: & quod ad mores & quod ad functionem attinet. Nam si aut perditè vivant, aut officium non faciant, possunt corripi à Magistratu & summoveri. *In comment. in 1. lib. Sam. ad cap. 8.*

Huic sententiæ non dubium est, quin adstipuletur *Josias Simlerus*, siquidem hosce commentarios abundè approbat: sic enim loquitur in Epistola sua nuncupatoria, quam hisce commentariis præfixit. *Etsi enim morte præventus non potuit opus totum recognoscere, tamen hoc interea affirmare possum, in hoc vtcunque inemendato opere aliquid fortè ad ornatum & elegantiam commentariorum desiderari, sed parum aut fere nihil in ipsa rerum explicatione.*

Annotabimus etiam, Regem Salomonem autoritate suâ Pontificem dejicere, atque ideò vanam esse nostrorum Episcoporum & Pontificum jactantiam, quâ gloriantur se à laïcis Principibus non posse loco moveri aut attingi. At nunc Salomon Regum omnium sapientissimus *In comment. in 1. lib. Reg. ad cap. 2.*

longè secus rem habere ostendit. In Sacrâ porrò Historiâ nusquam deprehendimus Pontifices aut Sacerdotes dejecisse Reges. At Reges è diversò, Pontifices & Sacerdotes in ordinem redegisse videmus. Quin & in orbe Christiano Iustinianus Imperator per Belisarium prius removit Sylverium, deinde Vigilium, Romanos Episcopos.

Nec abhorret *Johannes Wolphius* ab hâc celeberrini viri sententiâ, quandoquidem valde extollit, & multis commendat hosce commentariòs, in præfatione suâ eruditissimâ, ad Fridericum Palatinum.

In comment. in Epist. ad Rom. ad cap. 13.

Imò etiam quod ad functionem ipsam attinet, subjecti esse debent pio & religioso Magistratui: Non quod verbum Dei, aut sacramenta putemus subjicienda esse humanis legibus, sed quod officium sit Magistratus, aut punire, aut summoverè ministros, si se in functione suâ malè gerant, si veritatem adulterent, aut perperam administrent sacramenta.

IVELLUS.

Apolog. Eccles. Anglicanæ.

Sed cur Reges Christianos, & pios Principes excludunt à concessu suo? Cur eos vel ita inciviliter à se, vel ita contumeliosè dimittunt, vt quasi homines Christiani non sint, aut judicare non possint,

sint, nolint eos religionis Christianæ causam cognoscere, & Ecclesiarum suarum statum intelligere: Aut si autoritatem suam interponant, & faciant id quod possunt, quod jubentur, quod debent, quodque & Davidem, & Salomon, & alios bonos Principes fecisse scimus, vt ipsis aut dormientibus aut nefariè resistentibus Sacerdotum libidinem coërceant, eosque & ad officium faciendum adigant, & in officio contineant: vt idola evertant: vt superstitiones minuant: vt Dei cultum instaurent: Cur statim clamant, illos omnia turbare, in alienum officium irrumpere, & improbè atque immodestè facere? Quæ Scriptura Principem Christianum ab hujusmodi causarum cognitione vnquam repulit? Quis præter istos solos vnquam istá jura decrevit?

Moses civilis Magistratus, ac Ductor populi, omnem religionis, & sacrorum rationem, & accepit à Deo, & populo tradidit: & Aaronem Episcopum de aureo vitulo, & de violatâ religione, vehementer & graviter castigavit. Iosuë etsi non aliud erat, quam Magistratus civilis, tamen cum primũ inaugur aretur, & præficeretur populo accepit mandata nominatim de Religione, deque colendo Deo.

David Rex, cum omnis jam religio ab impio Rege Saule prorſus eſſet diſſipata, reduxit arcam Dei, hoc eſt, religionem reſtituit: Nec tantum adfuit vt monitor aut hortator operis, ſed etiam Pſalmos & Hymnos dedit, & claſſes diſpoſuit; & pompam inſtituit, & quodammodò præfuit Sacerdotibus.

Salomon Rex ædificavit templum Domino, quod ejus pater David animo tantum deſtinaverat: & poſtremò orationem egregiam habuit ad populum de religione, & cultu Dei: & Abiatharum Epiſcopum poſteà ſummovit, & in ejus locum Sadocum ſurrogavit: cumque poſtea templũm Dei fœdum in modum eſſet Sacerdotum vitio & negligentiâ contaminatum, Ezechias illud Rex juſſit à ruderibus & ſordibus repurgari, accendi lumina, ſuffitus adoleri, & veteri ritu ſacra fieri: æneum etiam ſerpentem, qui tum à populo impiè colebatur, tolli, & in pulverem redigi. Ioſaphat Rex, excelſa & lucos, quibus impediri videbat cultum Dei, & populũ à communi templo, quod erat Hieroſolymis, ad quod ex omni parte Regni quotannis eundum erat, privatâ ſuperſtitione retineri, evertit & ſuſtulit. Ioſias Rex diligenter admonuit Sacerdotes & Epiſcopos officii ſui. Ioas Rex,

Rex repreſſit luxum & inſolentiam Sacerdotum. Iehu impios Prophetas neci dedit.

In Chalcedonenſi concilio Magiſtratus civilis Dioſcorum, Iuvenalem, Thalaſſium Epiſcopos ſuâ ſententiâ pro hæreticis condemnavit, eoſque de illo gradu Eccleſiæ dejiciendos eſſe cenſuit.

Imperator Iuſtinianus legem tulit de corrigendis moribus & de frænanda inſolentia Sacerdotum, & quamvis eſſet Chriſtianus & Catholicus Imperator, tamen duos Papas ſucceſſores Petri, vicarios Chriſti, Sylverium & Vigilium, de Papatu dejecit.

Iam verò qui authoritatem ſumunt in Epiſcopos: qui à Deo accipiunt mandata de Religione, qui reducunt arcam Dei, componunt ſacros Pſalmos, præſunt Sacerdotibus, ædificant templa, habent conciones de cultu Dei, qui templa repurgant, demoliuntur excelſa, incendunt lucos, qui Sacerdotes admonent officij, & illis ſcribunt leges vitæ, qui Prophetas impios occidunt, qui Epiſcopos ſummovent, qui cogunt concilia Epiſcoporum, qui cum Epiſcopis vnà ſedent, eoſque quid agendum ſit inſtituunt, qui Epiſcopum hæreticum adjudicant ſupplicio, qui de Religione cognoſcunt, qui ſubſcri-

ſcribunt; qui pronunciant; atque hæc omnia, non alieno juſſu, ſed nomine ſuo, & rectè & piè faciunt, an ad eos dicemus Religionis curam non pertinere? Aut Magiſtratum Chriſtianum, qui hiſce rebus ſeſe admiſceat, aut improbè, aut immodeſtè, aut impiè facere? His rebus Imperatores & Reges antiquiſſimi, & Chriſtianiſſimi ſeſe admiſcuerunt: non tamen ea cauſa vnquam notati ſunt aut impietatis, aut immodeſtiæ: Et quis quærat, vel Principes magis Catholicos vel exempla illuſtriora?

WHITAKERUS.

De Pontif. Rom. controv. 4. quæſt. 4.

Sequuntur alia noſtra argumenta ad hanc cauſam ſpectantia; quæ Bellarminus affirmat fuiſſe veterum hæreticorum. At nos non perſonas, ſed res reſpicimus. Si argumenta bona fuerint, quorum fuerint, non multum refert.

Auguſtinus Donatiſtis removentibus Imperatores à cauſis Eccleſiaſticis hæc verba Apoſtoli objicit; *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita ſit: & ſubjungit, delete iſta, ſi poteſtis, aut iſta ſicut facitis, ſi non poteſtis delere, contemnite.*

Quartum noſtrum argumentum ſic ſe habet: In veteri lege Salomon depoſuit

Abiathar, & constituit in ejus locum Sadoch: ergò sub novo Testamento Imperator potest Pontificem Romanum judicare, & si causa postulat, de sua sede deturbare. Atque hoc argumentum fortius est de Novo quam de Vetere Testamento, quod in Vetere Testamento vnus fuit summus Pontifex à Deo institutus, at in Novo nullus est summus Episcopus, sed omnes sunt à Christo æquales instituti.

Respondet Bellarminus, & ait Salomonem, non vt Regem, sed vt Prophetam, & exequutorem divinæ justitiæ deposuisse Abiathar substituto Sadoch: quia dicitur Salomon amovisse Abiathar, *Vt impleretur sermo Domini*. Respondeo I. me non negare Salomon Prophetam fuisse, sed vt Regem fecisse affirmo, id quod multis rationibus declarari & confirmari potest. *Primò*, quia statim in Principio regni sui hoc fecit, cum adhuc Propheta non esset. Difficile certè adversario erit probare, illum tunc Prophetam fuisse. *Secundò*, quia qui tantum Prophetæ fuerunt, & hac tantum authoritate armati, nihil tale vnquam tentarunt. *Tertiò*, idem fecit, qui Adoniam, Ioabum, & Shimei, vt in eodem cap. legimus, interfici jussit: at hic fuit Rex Salomon.

Quar-

Quartò, in ipso contextu habetur, *Rex Salomon dixit Abiatharo Sacerdoti*. Et certè constant Prophetas non fuisse majores Summis Sacerdotibus, nec in eos juris aliquid aut authoritatis habuisse, vt illos deponere & loco movere possent: Ergò etsi demus hoc tempore Salomon Prophetam fuisse, non tamen potuit propheticâ suâ authoritate Abiatharum deponere & de sede suâ deturbare.

Quod verò objicit Bellarminus in eodem loco haberi, Salomonem amovisse Abiathar, *Vt impleretur sermo Domini*, ac propterea vt Prophetam amovisse illum: hoc non magis arguit vt Prophetam fecisse, quàm vt Regem: Nam quocunque tandem modo hoc fecit Salomon, sive vt Propheta, sive vt Rex, impletus est sermo Domini de Eli posteris removendis: Reges enim possunt sermonem Dei implere. Sic Iehu cum interfecit omnes Achabi posteros, sermonem Dei implevit.

Quintum nostrum argumentum est hujusmodi. Imperatores Christiani sæpe judicarunt & deposuerunt Pontifices; Ergo major est Imperatorum quam Pontificum authoritas. Antecedens patet: Nam Constantius Liberium in exilium misit, Iustinianus Sylverium: Theodoricus

cus Rex Ioannem primum in carcerem conjecit: Otho primus Ioannem duodecimum deposuit, & in ejus locum Leonem octavum substituit: Henricus tertius Gregorium sextum deposuit, & Clementem secundum ordinari jussit: ergo penes Imperatores est Pontifices judicare ac deponere. Bellarminus respondet, hæc quidem facta esse, sed quærit quo jure: Respondeo: eodem jure, quo Salomon Abiatharum deposuit, hoc est, optimo, æquissimo, justissimo; divino scilicet jure.

Sed de singulis exemplis seorsim respondet Bellarminus. Liberium (inquit) injustè pulsum esse in exilium testatur Athanasius: Respondeo: Verum id quidem esse, & Athanasium sic scribere. Constantius fuit Arrianus vehemens, Liberius verò Catholicus Episcopus, & propter fidem Catholicam in exilium missus. Sed Athanasius tamen non ait, Constantium non habuisse authoritatem pellendi Liberium in exilium; non ait eum fecisse id quod authoritate suâ facere non potuit, sed tantum ait injustè pulsum fuisse Liberium, quia causa pellendi injusta fuit. Fuit quidem causa injusta, sed tamen potestas interim justa fuit, quam Athanasius non reprehendit. Et quidem

Con-

Conſtantius multos Epiſcopos abdicavit: nemo tamen de eo magis conqueritur, quod Epiſcopum Romanum, quam quod alios depoſuit.

Datum eſt Imperatori jus à Romano Pontifice & tota Synodo, non confirmandi tantum electionem Papæ, ſed & Papam eligendi, & confirmandi omnes Epiſcopos, & Archi-Epiſcopos per Provincias. Hoc tam apertum eſt vt Bellarminus non neget, ſed ait hoc Imperatori conceſſum eſſe propter frequentia ſchiſmata, quæ tum fuerunt: Sed falſum eſt quod ait Bellarminus: Nam hoc Imperatori ſimpliciter in perpetuum conceſſum eſt. Perpetuum hoc jus fuit, non alligatum ad aliquod tempus. Quod revocata poſtea ſint hæc privilegia, id Paparum ſuperbia factum eſt, qui paulatim ſeſe non modò Imperatori ſubducere cœperunt, ſed ei etiam ſe æquarunt, & tandem ſuperiores avaſerunt.

SADEEL.

Ad undec. Sophiſ. Turri. ſive ad locum Eſa. 1

Poſtremò (vt calumniari tandem deſinat Turrianus) quod dicimus Paſtores ab ipſo Eccleſiaſtico cœtu eligendos & ordinandos eſſe quidem, ſed cum populi teſtimonio & conſenſu, & (quoties id licet) accedente Chriſtiani Magiſtratus autho-

ritate

ritate : non est ita accipiendum, quasi existimemus jus χειροθεσίας esse penes Magistratum : sed hoc tantum requirimus, quod Apostolorum scripta, quodque veteres historiæ testantur olim fuisse in Ecclesia observatum. Quin & ipsis decretis Pontificis (aut per imprudentiam, aut ità cogente rei veritate, certè summâ Dei providentia adscriptis) apertè constat non tantum populi testimonium & consensum accessisse, quum Episcopi Eligebantur, sed etiam ipsos Pontifices olim fuisse ab Imperatoribus confirmandos.

Existimo populum, & quo ad ejus fieri potest, Magistratum ipsum, locum habere in Ecclesiastica χειροτονίᾳ, hoc est, in eligendis Ecclesiæ ministris : sed non in χειροθεσίᾳ, hoc est, in ipsa impositione manuum, & ordinatione, qua ministri Ecclesiastici Deo consecrantur : quandoquidem jus illus ordinandi, pastorum Ecclesiæ proprium est. *In respons. ad idem repet. sophisma.*

Si quando tui Pontifices, quod præter jus fasque vsurparant, Imperatoribus (aut ita cogente rei veritate, aut certè animo fallaci) reddiderunt, id si illis laudi dicendum existimas, aliorum esto judicium. Sed quod illi postea suis artibus authoritatem dignitatemque Imperatorum, quantum in ipsis fuit, imminuerunt, &

quo-

quotidie imminuunt, id illis summę ac minimè fęrendæ ambitioni ac tyrannidi adscribendum esse, ita cogente rei veritate, fatearis necesse est: imo Turriane, vide num possis hunc nodum expedire. Quum enim agnosceret Ecclesia Romana Pontificis electionem ab Imperatoribus esse confirmandam, alioqui futuram irritam: simul addidit: Quicunque contra hoc decretum ageret (vtendum est enim eorum verbis ex Can. Adrianus dist. 63.) anathematis vinculo eum innodari. Vide inquam Turriane, quonam modo hunc nodum solvas, & quo tandem sophismatum acumine tuos Pontifices liberabis, qui se ipsi anathematis vinculo innodarunt, dum adversus hoc suum decretum sese ab Imperatorum potestate & authoritate subduxerunt.

ZEPPERUS.

Polit. Eccl. lib. 2, cap. 3. De presbyterij, & conventus classici sententiâ Magistratum, tanquam nobilius & præstantius Ecclesiæ membrum, imò illius nutritium quoque, inspector classis certiorem faciet: cui si aliud videatur, vel in nominato pastore aliquid ipse desideret, causasque à presbyterij & conventus classici sententiâ atque judicio dissentiendi habeat, de alio instituetur de-

deliberatio, vel ipſe etiam Magiſtratus loci alium nominabit & oſtendet.

Poſtquam autem Imperatores Chriſto nomen dederunt, illorum etiam voluntas, judicium & authoritas ad miniſtrorum electiones & vocationes adhiberi cœpit, vt qui nobiliora & præſtantiora Eccleſiæ membra, imò nutritij illius etiam ſunt. Sic in Concilio Conſtantinopolitano, cum conſultatio incideret, cuinam potiſſimum iſtius vrbis cathedra committeretur, Imperator Gregorium Nazianzenum proter vitam & doctrinam, hoc præſulatu dignum cenſet, cujus judicium Concilij quoque maxima pars, quæ integritatem viri ſuſpiceret, approbavit, teſte Sozomeno lib. 7. Hiſt. Eccleſ. cap. 7.

Cùm verò progreſſu temporis, hæreſibus & ſchiſmatibus in Eccleſià creſcentibus, clerici, hæretici, ſchiſmatici, aut aliis affectibus præoccupati, & faſcinati, jure electionis ſæpe abuterentur, & populus ſuæ quiſque factionis Epiſcopum eligi vellet, adeò vt ex vniverſæ multitudinis ſuffragiis, ſæpe ſimultates & tumultus orirentur, imò & cædes fierent: Chriſtianis Magiſtratibus neceſſitas impoſita fuit, vt ſuam interponerent autoritatem, Concilio Orthodoxorum Epiſcoporum adhibito, Eccleſiis miniſtros darent:

quemadmodum Ioſaphati, Ezechiæ & Ioſiæ inſpectio Magiſtratui mandata eſt, vt Eccleſiæ miniſteria rectè conſtituantur & adminiſtrentur. Sic cum in electione Epiſcopi Conſtantinopolitani inter Dioſcorum & plebem diverſa eſſent ſuffragia, aliis aliorum, quos ordinari vellent, nomina in chartam ſcribentibus, Theodoſius perlecto inſcriptorum catalogo, tandem in Nectario ſubſtitit, eumque deligit, multis reluctantibus. *Sozom. lib. 7. Hiſt. Eccleſ. cap.* 8. Epiſcopi Alexandrini cum Petrum Mangum ſuâ authoritate ſibi deligunt, res hæc Zenonem Imperatorem vehementer conturbat, adeò, vt Petrum illum morte etiam multaret, & Timotheum, qui propter populi ſeditionem in Canobo tum ætatem degebat, accerſeret. *Euagrius lib. 3. Eccleſ. Hiſt. cap.* 11.

Et ſanè ſi præſentem hodiernumque Eccleſiæ ſtatum & conditionem, à primitivæ illius Apoſtolicæ longo intervallo diſcrepantem, ſpectemus, quodque in primitivâ illâ plebs fidelium non tantum adeò contracta fuit, vt citra tumultus aut motus, omnium ſuffragiis eligi in publicis Eccleſiæ cœtibus miniſtri poſſent: ſed in doctrinâ etiam Apoſtolorum adhuc perdurantes eſſent, nullis erroribus adhuc

huc

huc infecti aut delibuti, adeò vt communibus suffragiis electiones fieri commodè possent: nunc verò Christianorum multitudo in immensum ferè succreverit, variisque erroribus & schismatibus Ecclesia infestetur, & hoc loco veritas nunc constituta sit, vt plurimis ferè exosa sit: tutum & consultum minime foret, Magistratus Evangelicos, sive eligendi, sive confirmandi ministros, jus abdicare, inque manus promiscuæ & imperitæ plebis simpliciter & absolutè resignare.

Denique Magistratus Pastores & Doctores non rectè sentientes, in officio negligentes, aut enormiter delinquentes, in ordinem cogere, & non tantum increpare, cumque illis durius expostulare potest, aut stipendij parte ad tempus privare: quemadmodum Moses Aaronem propter conflatilem illum vitulum æneum, graviter accusavit & reprehendit, *Exod* 32. *vers.* 21. Et Ioas Sacerdotibus, in structura templi, quam ipsis demandârat cessatoribus, irrogavit pœnam & mulctam, stipendij partem ipsis ad tempus subtrahendo, 2. *Reg.* 12. *vers.* 7. Sed omnino etiam, si ita opus sit, removere ab officio & exauthorare potest, quemadmodum Salomon Abiatharum, quod Adoniam, regnum, vivo adhuc patre Da- *lib.* 3. *cap.* 14.

 vide,

vide, occupare conantem, secutus esset, Sacerdotio privavit, subrogato illi Zadoco, 1. Reg. 2. vers. 27. 1. Reg. 1. vers. 7. Et Iustinianus Imperator Sylverium, Romanum Episcopum, quem proditionis suspectum habuit, per Belissarium removit, substituto illi Vigilio. *Euagrius lib. 4. Hist. Eccles. cap. 18.*

PAREUS.

In præfat. ad Landg. præfixâ comment. in Hoz.

Exemplis & legibus rem disceptari volunt, Moses Princeps populi religionis formam Dei jussu constituit: Aaroni præscripsit. David Rex tabernaculi ministeria disposuit: ad reducendam arcam Sacerdotes convocavit, Concilium aliud senex habuit. Salomon templum dedicavit, Abiatharum deposuit: Zadocum constituit Sacerdotem: Iosaphat Sacerdotibus & Præfectis suis Ecclesias visitandi, cultusque instaurandi negocium dedit: Amariam Pontificem Sacerdotibus præfecit. Ioas Pontificicem in templi curâ negligentem castigavit. Hiskias cultum à Sacerdotibus corruptum repurgavit: Pascha restituit, &c. Neque hæc pietatis magis, quam officij opera fuerunt.

Christiani verò Principes minus potestatis habebunt? minus spirituale subditorum bonum curabunt? Constantinus ergo

ergo causam Donati & Cæciliani, Melchiadi Romano Episcopo ejusque collegis audiendam commisit, literis injunxit: tandem ipse judicavit: causam quoque Felicis, quod Cæcilianum in crimine traditionis ordinarat, audivit, finivit: Ariano dissidio componendo synodum coëgit. Theodosius fidem ὁμοούσιον legibus edixit: Episcopos Nestorianos deponi jussit: Irenæum Tyrium dejecit.

SOHNIUS.

Cùm autem dico Magistratum disciplinæ custodem esse, intellige vtramque tabulam decalogi ei custodiendam esse, id est, non tantum est pacis custos velut armentarius, nec tantum ventri, sed primum gloriæ Dei serviat, quod ad externos mores attinet. *Tom. 3. thesib. de Magist. thes. 32. & 34.*

Ac pertinet etiam emendatio Ecclesiarum præcipuè ad Magistratus officium, præsertim cessantibus Episcopis, aut adversantibus Evangelio.

PERKINSIUS.

Veteres excludi volunt Principes à negotiis Ecclesiasticis non omni modo, sed tantum quo-ad absolutum judicium de rebus sacris, & quo-ad actus ministeriales, quorum respectu, oves sunt Reges etiam *Tom. 1. demonstr. problem. loco de Regum potest.*

ipſi, non tamen quo ad ordinationem ſive regimen Eccleſiæ & miniſterij Eccleſiaſtici. Cujus reſpectu ſupra omnes ſunt perſonas & cauſſas, etiam Eccleſiaſticas, intra propria Dominia.

Tom. 2. in expoſit. in Epiſt. Iudæ, ad verſ. 8.

Magiſtratus eſt miniſter Dei, tuo bono illoque tum animæ tum corporis, quod in duobus conſiſtit: 1. in vera religione, 2. civili juſtitia: quarum vtraque à Magiſtratu ſuſtentatur. Quæri hic poſſit, quam procul hæc civilis gubernatio extendat ſe: Reſpondeo: illam in duo objecta extendi. 1. in omnes cauſas, res ac verba hominum tum civilium tum Eccleſiaſticorum: De temporalibus hic non eſt quæſtio. Hujus autem gubernationis executionem in cauſas etiam Eccleſiaſticas extendi, apparet ex eo, *Quod penes Regem ac Principem librum legis eſſe oporteret.* Deut. 17. 19. *In eo legere debet, & quæ in eo ſunt fideliter exequi.* —— Verum enim verò in hac authoritate duo ſunt obſervanda. 1. illam civilem authoritatem non ordinare cauſas Eccleſiaſticas & civiles ſecundum eundem modum: in civilibus enim ſingulas quaſque ordinat, & perinde omnia exequitur: at in Eccleſiaſticis, ſingula quæque ordinandi poteſtatem habet, at non identidem exequendi. Magiſtratus quidem ordinat & præſcribit in omnibus

qui-

quibusque Ecclesiasticis causis, at minister is est cui in iisdem executio demandatur. Secundo etiam notandum est, civilem authoritatem potestatem habere in omnia illa quæ hominum sunt, at non perinde in ea quæ Dei sunt, putà verbum aut sacramenta, fidem, conscientiam & dona Dei interiora: atque hæc ad civilem potestatem nihil pertinent: de qua Christus verba faciens, præcepit ea quæ Dei sunt, Deo: quæ Cæsaris Cæsari danda esse, 2. Hujus authoritatis vis in omnes etiam personas extenditur, tam Ecclesiasticas quam civiles, ita tamen vt ad externum hominem, corpus, vitam, conversationem, & exteriora quæque duntaxat extendatur, non autem ad animam & conscientiam, quarum Deus solus Dominus & Rector est.

In Prophetis, Pastoribus & Ministris duo consideranda sunt, primò personæ eorum, secundò ministerium eorum. Respectu personarum singuli suis Principibus subjiciuntur, idque conscientię gratiâ: at respectu ministerij quo funguntur, Principes & Magistratus Ecclesiæ subjiciendi sunt, vt ei in qua verbum docetur & sacramenta administrantur: —— Magistratus Ministris non in nomine suo, sed in nomine Christi venien-

tibus subjici debent. Hoc enim est nobis observandum, Magistratus non esse simpliciter ministerio subjectos, sed quousque verbum rectè prædicatum fuerit, & Sacramenta sincerè administrata: nam alioqui potestatem habent sive reformandi sive abdicandi Ministros tales qui in munere suo fungendo delinquunt: hoc enim respectu iidem ipsi Pastores sunt, sicut *Isa.* 44. 1. Cyrus appellatur Pastor.

RAINOLDUS.

Colloq. cum Harto, cap. 7.

Leo cum vniverso Clero populoque Romano, Othoni, ejusque successoribus in perpetuum donavit facultatem Pontificem eligendi. Causa verò quæ commovit illum ad institutum istud stabiliendum, ea fuit, vt nulla in posterum ejusmodi monstra, quemadmodum olim, in Petri Cathedra sederent. Cogitabat enim ab illo tempore, quo Adrianus tertius potestatem illam Imperatori eripuerat, & libera populo cleroque comitia reliquerat, fœdè ineffrænatam Romanorum ambitionem opplesse Ecclesiam bestiis, civitatem tumultibus; & electiones nequitiâ. Hanc nimirum libidinem aliqua ratione coërcendam esse animadvertebat. Nullum frænum acrius injici potuisse putabat, quam si Adriani primi constitutio,

qui

qui jus Pontificem eligendi concessit Imperatori, renovaretur. Itaque rem ad Concilium retulit, & Concilium acclamavit.

Quin adeò aberant Imperatores à monstris intrudendis, vt extruderent prorsus, & summo essent ad Ecclesiam ab illis liberandam adjumento: quod sicut constat ex perpetuâ serie rerum gestarum ipsorum, & annalium: ita Carolus Sigonius, in illa quam de regno Italiæ scripsit historia (homo nullo modo iniquior in Pontifices) hoc Cæsaribus deferat testimonium, & Romanos ipsos quod illa monstra in sedem irrepserint, in omni culpa ponat.

Scriptura edocet, eos, qui in Religionis causis peccant, idololatras, blasphemos, Pseudoprophetas, sacrarumque rerum violatores, esse puniendos, isti autem committuntur puniendi, qui non temerè gladium gestat. Ergò à civili Magistratu puniendi sunt, qui malum faciunt in rebus divinis. *cap. 10.*

Cęterum: pœnis, scitisque civilibus providere, vt suo Sacerdotes perfungantur in divinis rebus officio; nec Sacerdotes solum, sed & populus: Principi hæc delegata provincia est.

Quare, quum suprematus ille, quem Principi deferimus in Ecclesiasticis negotiis,

tiis, non alius sit, quam vt in iis se gerat sicut Ezekias,non sicut Ozias;non vt prædicet verbum, ministret sacramenta, divina officia celebret, aut Ecclesiæ exerceat disciplinam; sed vt curet ista fieri, pro-vt oportet, ab iis, quos ad eadem Deus vocavit: Nequaquam Cæsari plura quam quæ sunt Cæsaris attribuimus. Quo graviori sunt in culpa magister tuus, & commilitones ejus, qui juramentum Regij suprematus, tanquam improbum & impium redarguunt. Omnis enim qui legitimè regnat, supremus est subditorum suorum in Spiritualibus Politicisque rebus gubernator.

Etiamsi Principes non semper, qnæ pia sunt vt nec honesta, jubeant: nequaquam idcirco in iis ipsos imperio suo oportet spoliemus; quin juvemus precibus potius, vt nos in pietate & honestate regant.

CHAMIERUS.

Panstra. tom. 2. lib. 14. cap. 11. Quintum argumentum: in Veteri Testamento Rex fuit major quibuslibet Pontificibus, etiam Summo: Ergo & in Novo Testamento Imperator debet esse superior omnibus Episcopis; etiam iis, qui sunt reliquis superiores, vt erant olim Metropolitani, & Patriarchæ. Probatur antecedens: quia *prioris Regum* 2. Salomon

mon depoſuit Abiatharem, conſtituto Zadocho in ejum locum.

A Salomone, tanquam Propheta non tanquam Rege deſtitutum Abiatharem finxit Bellarminus. Vbi legitur Prophetam autoritatem habuiſſe in Summum Pontificem? maxime deponendum?

Sextum argumentum: Chriſtiani Imperatores ſæpe judicaverunt ac depoſuerunt Pontifices Romanos: Conſtantius Liberium miſit in exilium: Iuſtinianus Silverium: Theodoricus Rex Ioannem conjecit in carcerem: Otho primus Ioannem duodecimum depoſuit: Henricus tertius Gregorium ſextum.

Hæc eo jure facta ſunt, quo Imperatores præerant Pontificibus: —— Eodem inquam jure facta, quo olim Conſtantinus Magnus juſſit Arium exulare: & Euſebium, & Theognin apud Socratem lib. 1. cap. 5. & poſtea Athanaſium, cap. 23. Item Conſtantius ter Paulum electum Epiſcopum Conſtantinopolitanum; lib. 2. cap. 5. 12. 21. Denique, quo Gratianus Demophilo Ariano dixit, lib. 5. cap. 7. *Si pacem & concordiam fugis, fugere te jubeo ab oratoriis locis.* Ne alia colligam infinita exempla; quibus fit manifeſtum tum temporis ſua autoritate vſos palam & promiſcuè in quoſvis Epiſcopos, & abdi-

abdicandos & in exilium pellendos.

Itaque nihil est novi, quum dicuntur Liberius, Silverius, Ioannes, injustè pulsi. Nam quis nescit Imperatores sæpe abuti autoritate? Nemo sanus neget injustè etiam Athanasium factum exulem à Constantino, primùm: deinde à Constantio: alios etiam Episcopos Catholicos, cum ab hoc tum ab aliis, sed non sequitur, ex eo quod quis quid injustè facit, propterea non habere autoritatem faciendi: hoc enim sequitur duntaxat, abuti eum sua autoritate. —— Ejecit, vt dixi, Constantinus Arium, Eusebium, Theognin; hæriticos: ejecit & Athanasium. Confer vtrinque ejiciendi autoritatem, potestatemque eandem invenies: & tamen justè illi, hic contra ejectus est. Qui fit? non sanè quia in Athanasio deficeret potestas, quæ in reliquis sufficiebat: sed quia, quum æquè Athanasij judex esset Imperator, ac reliquorum, tamen Athanasij nullum crimen erat: & erat magnum aliorum. Sic de his respondeo: Malè ejectos Liberium, Silverium, Ioannem: sed malè, quia caussa in iis nulla erat exilij: at non, quia Imperatoribus nulla esset autoritas.

Cap. 13. Sextò; quia Imperatores autoritate suâ confirmabant, vel infirmabant ele-

ctum Romanum Pontificem. Platina in Pelagio secundo, nihil à clero in eligendo Pontifice actum erat, nisi ejus electionem Imperator approbasset. Sabellicicus Enneadis 8. lib. 5. miserat Gregorium Pelagius Byzantium, vt se apud Principem purgaret, ne sibi noxæ daretur, quod sine illius assensu passus esset se Pontificem renunciari. Enim verò irrita erat tunc Pontificis declaratio, nisi eam Imperator suo probasset assensu. *Blondus Decadis* 2. *lib.* 2. Stephanus quartus Romam ab Imperatore reversus brevi obiit: eique successit Paschalis primus: qui quod à clero populoque Romano absque Imperatoris autoritate præter observatam diu antè consuetudinem, electus esset, ad illum scribere suam innocentiam, à Cleri, populique violentia purgavit. *Krantz, Metropoleos lib.* 2. *cap.* 29. Neque mireris, lector, ab Imperatore constitutum Episcopum: Ferebant hoc illa tempora: quando etiam summorum Pontificum constituendorum, destituendorumque habeant arbitrium: quod temporum necessitas ferebat. Eheu immutata tempora.

MOLINÆUS.

Tract. de vsurp. Pontif. cap. 5. ex gall.

Plurimi Principes sæpenumero correxerunt Pastores, & ad officium reduxerunt, vt Constantinus, qui suffocavit Episcoporum dissidia, curando igne absumi ipsorum criminationis libellos; vt David, qui tabernaculi constituit leges; vt Salomon, qui dejecit Abiatharum perduellionis rerum à Sacerdotio; vt Ezechias & Iosaphatus, qui repurgarunt templum Dei, cultusque integritatem restituerunt. Hoc sensu, literæ synodales scriptæ ad Ludovicum pium ipsi attribuunt titulum Rectoris Ecclesiæ. Et Ludovicus ex filio nepos cum ageret Papiæ, inquirit in mores Episcoporum eorumque functiones, vt refert Sigonius ad annum 855. Ipse dicit lib. 7. Adrianum detulisse honorem Carolo Magno gubernandi Ecclesiam, & eligendi Pontificem Romanum; non vt pro arbitrio immutaret doctrinam: sed ad executionem eorum quæ Deus in verbo præcepit.

cap. 8.

Pontificum electiones vt plurimum peragebantur suffragiis populi Romani & Cleri, quæ tamen ratæ non habebantur vsque dum eas suo approbassent assensu Reges Italiæ sive Imperatores; qui sæpenumero non expectatis comitiorum plebis suffragiis, absolutâ suâ authoritate con-

constituerunt Episcopos. Anno 535. Eligitur Agapetus primus à Rege Theodato, & deinde Sylverius, & Iustinianus Imperator per Belissarium removet Sylverium substituto illi Vigilio.

PISCATOR.

Quum Ecclesia aliqua Magistratum habet Christianum & domesticum fidei, jus illud vocandi ministros penes illum est: idque propter parem rationem cum Magistratibus Ecclesię veteris Israëliticæ. Etenim Deus Mosi & sub illius persona Gubernatoribus populi Israëlitici politicis deinceps futuris jus illud dedit: Quum ei mandavit vt & Sacerdotes & alios sacrorum ministros vocaret atque constitueret. Et Moses ac post illum pij quidam populi Israëlitici (vt David, Salomon, & Ezechias) jus illud exercuerunt. Quum verò Ecclesia aliqua talem Magistratum non habet, tum jus illud pertinet ad ipsum Ecclesiæ illius cœtum, ac inprimis ad collegium seniorum: vt ostendunt exempla Ecclesiæ Christianæ primitivæ ministerio Apostolorum. *In Aphoris. loco de minist. Eccles.*

POLANUS.

Quod si plebi personæ idoneæ non sint cognitæ, aut de iis judicare non potest; *Syntag. lib. 7. cap. 15.*

tum

tum presbyterij est & quidem totius, sive senatus Ecclesiastici, aut etiam magistratus politici, cui religio pura curæ est, quærere personas idoneas.

lib. 10. cap. 65. Episcopos & Pastores Ecclesiarum officio non satisfacientes, vel prorsus non facientes, deponet (Magistratus) & alios in locum eorum substituet idoneos. 1. *Reg.* 2. *vers.* 26. 27.

ABBOTUS.

Tract. de suprem. potest. regia, prælect. 3. Tanta denique potestas regia in Pontificem, vt mox Salomon Abiatharum Pontificem Sacerdotio abdicaverit, & ab altari summoverit, & Sadocum in locum ejus Pontificem futurum substituerit. —— Respondet Bellarminus; factum illud tribui solere Salomoni; non vt Regi, sed vt Prophetæ, extraordinariam potestatem divinitus obtinenti. Id verò qui constat? quam tandem assertionis suæ fidem facit? an ideo credendum est, quia Bellarmino sic visum est? certè quâ authoritate Adoniam, quâ Ioabum, quâ Schimeium morte multavit, non propheticâ, spero, sed regiâ, eâdem eodem tempore Abiatharum de Sacerdotio deposuisse credendus est. Etsi verò detur instinctu hoc fecisse Prophetico, certè authoritate non nisi Regiâ facere potuit, quia

Pro-

Prophetis denunciandi tantum officium competit, potestas exequendi non Prophetarum sed Regum est. Quare apertè ibi legitur, Rex dixit Abiatharo, vt nullus hinc tergiversationis locus sit. —— Denique causa ipsa, quâ arcessebatur non Ecclesiastica, non doctrinæ, sed politica, & regni causa fuit; quippe quod proditoriè cum Adonia conjurasset; vt nomine Prophetæ nihil illi negotij cum Abiatharo, tantummodò jure regio agendum esset. Quare futilis & inepta est responsio illa, & manet hoc exemplo firmata Regum potestas in Pontifices & Sacerdotes, vt ab illis etiam Sacerdotio abdicari possint.

DAVENANTIUS.

Prima thesis erit de personis Ecclesiasticis; Episcopi, Presbyteri, omnesque qui clericorum nomine censentur, tam Regiæ potestati subjiciuntur quam laïci. Horum igitur respectu Rex habet summam autoritatem. Id inprimis ex eo liquet, quod Reges Israëlitici pro imperio Sacerdotes convocabant, & Imperatores Christiani Episcoporum concilia indicebant. Hosce conventus illi non indixissent, nisi superiores Sacerdotibus extitissent. Quid, quod Regi imcumbit imperare Sacerdotibus vt suis fungantur officiis; increpare *In determ. quæst. theol. quæst. 19.*

& punire, si secus fecerint, imò, si merebuntur, muneribus suis prorsus abdicare: Iosias præcipit Helciæ. Ioas increpat Ioadam. Salomon deponit Abiatharum. Hanc eandem potestatem Christiani Imperatores exercuerunt. Constantinus Paulum à sede Constantinopolitana dejicit, & in ejus locum substituit Eusebium. Theodosius imperat demophilo Ariano Episcopo, vt vel fidem Catholicam suscipiat, vel sedem Episcopalem relinquat.

LEIDENSES.

In synop, disp. 50, thesi 54.

Si Pastor sit seditiosus ac manifestus pacis publicæ violator, summus Magistratus eum, interveniente subordinatorum procerum consilio, potest eodem jure exauthorare, quo Rex Salomon Abiatharum deposuit. 1. *Reg.* 2. *vers.* 26.

RIVETUS.

In Decal.

Rectè autem Augustinus à more & instituto præsertim Israëlis & Iudæ Regum piorum, hujus quæstionis arcessit solutionem, à quo vim & nervos sumit: quia in Israële populo suo regnum instituit Deus, & Ecclesiam in regno, ex mente sua. Exemplum inde sumendum est; cum in Novo Testamento quo tempore scripserunt Evangelistæ & Apostoli, nusquam in

vnum

vnum coaluerint Ecclesia & Imperium, quin potius procul se hoc habuit ab illa. Quæ igitur penes Reges & summos alios Magistratus, pro varia regiminis ratione in religione partes sint, inde nobis petendum, vbi gemellæ quasi sunt & amicè conspirant politia & Ecclesia, non vbi à se invicem secedunt.

Ministrorum sacrorum hæc sunt, vel doctrinam spargere, vel censuris pungere, vel sacramenta administrare immediatè & personaliter, & vt loquuntur ex officio. Magistratus autem est ——— cujus hæc auspiciis geruntur: Quod si non faciunt Ministri, legibus & imperio eos vrget & injungit vt fiant, atque rectè fiant; vindicatque si secus.

Hic controversia est de jure vocationis Ministrorum, à quâ Pontificij Magistratum Christianum arcent, nisi forte privilegio quodam juris patronatus, aut simili gaudeat. Nos ad id, jus pij Magistratus asserimus, tum quatenus est Ecclesiæ membrum, ratione personæ; cùm enim jus illud toti etiam populo competat, non potest excludi pius Magistratus; tum maximè ratione muneris, cum populi sit caput. Non debet tamen ministerij Ecclesiastici constitutionem ac Ministrorum vocationem sibi soli vendicare, exclusu

presbyterio & reliquâ Ecclesiâ, aut id inter Regalia sibi soli debita referre, aut invitis auditoribus pastores obtrudere.

Vndè, quid de flagitiosorum Ministrorum, aut hæreticorum depositione statuendum sit, colligitur; eadem enim est ratio remotionis, quæ electionis; vt in primâ suas partes habet Magistratus, sic in secundâ; sed quemadmodum ipsius non est electio sine clero & populo, sic nec depositio legitimè fieri potest, nisi vocatis & consultis qui jus eligendi habuerunt. Rex autem sive alius Magistratus, vt non ordinat, sic nec deponit formaliter, vt ita loquamur, vel administratoriè per se ipsum. Id tamen facit non solum consilio, sed mandato & auctoritate, quia iis mandare potest, vbi subest justa causa de ministro exautorando, penes quos hæc potestas in Ecclesiâ viget: qui quidem in hoc casu, vbi nempe justa causa subest, nisi parent & quod jubet faciunt, obnoxij sunt non solum iræ, sed etiam divino judicio.

In approb. disp. Theol. Vedel. de Magist.

Testor, —— cum tamen mihi scrupulus quidam injectus fuisset ex eo, quod quæst. 3. vbi agitur de depositione ministrorum, non objectivam solùm, sed etiam formalem potestatem Magistratui tribueret, quum verba ex me citata quæst. 6. negarent eam Magistratui in eo conveni-

re:

re: eum plane mihi satisfecisse, cum id ita interpretatus est, vt spectaret tantum depositionem, quæ exercitium prohibet ministerij in districtu Magistratus illius, & coërcitionem externam: non autem potestatem, quâ ordinatio Ministri, quæ fit à solis Pastoribus, redderetur irrita, & Pastor exauthoratus fieret inhabilis ad prædicationem verbi & sacramentorum administrationem, quam formaliter solis Pastoribus assero, quibus competit ordinatio.

WALEUS.

Fatemur Magistratum quoque subalternum seu inferiorem tanquam primarium membrum Ecclesiæ in eà re (vocatione scilicet Ministrorum) esse agnoscendum, quamvis lege speciali summi Magistratus ad eam rem auctoritatem non accepisset.

Tract. de offic. minist. & auctor. Magistrat. part. 3. ex Belg.

At fuerit absoluta depositio, quâ ejectus (Abiathar) fuit, non solum ab exercitio, verùm etiam ab omni Sacerdotij dignitate. Quis vnquam negavit propter notoria delicta quæ simpliciter civilia sunt, speciatim ob proditionem contra Summum Magistratum & bonum reipublicæ, Pastorem posse neci dari, aut exilio mulctari, & consequenter etiam deponi suo ministerio à Magistratu: etiam abs-

que præcedaneo judicio Ecclesiastico, quandoquidem omnia judicia Ecclesiastica in eo conveniunt. Hæc est sententia Hierarchiæ Antichristianæ, non autem Ecclesiarum reformatarum: quasi tales primò degradandi essent à suis Spiritualibus, quos vocant, & postea tradendi Magistratibus secularibus, vt puniantur.

TRIGLANDIUS.

Tract. de potest. civili & Eccles. cap. 13. Quando Magistratus Christianam religionem, vel recipere, vel in publicum admittere nolunt, ministris Christi in Ecclesia ipsius non licet se vi, vel armata manu, ingerere, vel coactivam Magistratuum potestatem sibi arripere, vt ea ratione veræ religionis exercitium publicum faciant: Hoc enim esset gladium ipsis non concreditum illigitimâ ratione cum Petro sumere.

cap. 14. Licet etiam Magistratibus, imo mandatum est ipsis, vt in subditorum suorum bonum hujus rei curam habeant, efficiantque vt vera religio publicè in ipsorum ditionibus vigeat. Si ergò subditos suos malè doceri, & in errores seduci videant, aut observent, & ab iis quorum id munus est, in corruptelam istam & seductionem non animadverti, cur non è publico seductores istos potestate coactiva removeant?

Quid

Quid si pastores, aut in officio faciendo negligentes sint, aut potestate sua abutantur, an non licebit Magistratibus potestate suâ coactivâ, vel impellere illos vel coërcere? Respondeo ex supra explicatis. Vel pura adhuc religio vigebit in Ecclesia, cum vsu disciplinæ Ecclesiasticæ, vel illa adulterata erit, & hæc in tyrannidem conversa. Hoc si sit, exturbanda erit, cum falsa religione, Ecclesia adultera, cum tyrannide sua; & sic simul cum tyrannico regimine Pastores infidi. *cap. 22.*

SALMASIUS.

Omnis potestas quæ Ecclesiam & res Ecclesiasticas spectat, in genere & latè spectata aut interna est aut externa, aut τὰ εἴσω τῆς ἐκκλησίας respicit, in qua versatur pastorum, & ministrorum Dei ἐπισκοπὴ, quam & proinde ἐσωτερικὴν ἐπισκοπὴν nominare possumus, aut τὰ ἔξω τῆς ἐκκλησίας, quæ ad Principem & Magistratum summum vel ab eo delegatos pertinet, quæ in illis omnibus, qualia supra memorata sunt, cernitur, aliisque similibus, hæc ἐξωτερικὴ Principum potestas Ecclesiastica. Minister Ecclesiæ Principem Christianum ligare & solvere, id est suspendere & excommunicare & absolvere æque potest vt alium quemlibet de grege, per illam *In Appar. ad lib. de Prim.*

internam poteſtatem & ἐπισκοπὴν quam à Deo accepit. At Princeps rurſum poteſt Epiſcopum per illam exteriorem ἐπισκοπὴν quæ non animam ſed corpus curat, cogere, coërcere, ad officium compellere, ſi exorbitet, etiam deponere & abjicere & exilio punire, vitâ quoque, ſi talem meruerit ſententiam, privare. Alio modo deponitur Miniſter in foro interiore Eccleſiaſtico quod ab ipſis Paſtoribus exercetur, aliter in exteriore principali. A Principe vel Magiſtratu abjectus Epiſcopus, miniſterij tantum atque officij functionem amittit atque exercitium intra limites juriſdictionis duntaxat vel ditionis quæ Principi illi atque Magiſtratui ſubjecta eſt. Ab Imperatore Romano dejectus in toto imperio non potuiſſet miniſterium exercere. Sed ita depoſitus retinebat communionem inter Eccleſiaſticos & ſui ordinis Miniſtros. Non enim poteſtatem quam in ordinatione accepit per impoſitionem manuum poteſt eripere Princeps, cum nec eam poſſet dare. Si Princeps igitur velit Miniſtrum aliquem ob ſua peccata prorſus degradari & καθαιρεῖσθαι, & miniſterium ſimul cum ejus functione amittere, per Paſtores ipſos id faciendum debet curare, qui judices veri ipſius ſunt & aufer-

re soli possunt quod per ordinationem dederunt. Imperatores Romani quos per vim ejicerent, quia intelligebant potestatem ministerij fungendi non aliter iis adimere posse, in exilium eos mittebant. Quod possemus infinitis testimoniis demonstrare. Relegatus hoc modo Episcopus remanebat nihilominus Episcopus, non ordine excidebat Episcopali, nec ad laicorum ordinem redigebatur, atque, si volumus uti loquutione Pontificiorum sed alio intellectu, non amittebat characterem, co-episcoporum autem suorum judicio damnatus, & depositus, laïcus fiebat & ordinem mutabat, characteremque ordinis amittebat. Ad laïcam denique sic dictam communionem redigebatur, cum ille Episcopus in exilium à Principe sæculari pulsus retineret Ecclesiasticam & Sacerdotalem, vt tum vocabant.

CALVINUS.

In Schol. in Epist. Paul, III. Pont. Max. ad Cæsarem.

Sanctis patribus —— nihil fuit antiquius quam vt Principum authoritate in ordinem redigerentur mali & improbi Sacerdotes, indigni autem honoris gradu abdicarentur.

CONSTITUTIONIS, Eccles. Genev.

Ex Gall. Artic. 23. Quantum ad crimina nullo modo toleranda, si ea sunt civilia, id est, punienda per leges, & quispiam ministrorum ea commiserit, ipse senatus suam interponat autoritatem, & præter pœnam ordinariam quâ solet alios mulctare, eum deponat à ministerio.

Artic. 24. Si verò talia sunt crimina, quorum antecedens inquisitio pertinet ad presbyterium, ipsi seniores cum ministris in ea inquirant, & si minister eorum convincatur, indicato id Synedrium Senatui, expositâ super hac re suâ opinione; ità vt ipsissima pœnæ sententia semper reservetur ipsi Senatui.

Porrò ex ordine senatorio & quidem ab ipso senatu eliguntur Ecclesiæ presbyteri, Pastoribus ad hanc rem admissis, tantum modò deliberandi causâ; promittuntque senatui jurerando, ritè sese perfuncturos suo munere; nec ipsi Pastores ab hoc juramento præstando habentur immunes. Fuere autem hæ constituiones à Magistratu sancitæ, accedente Genevensium Theologorum judicio. Vt videre est articulo primo.

OBJECTIO.

At objiciunt adversus hanc doctrinam non-nulli; quum nulla sit avis rarior quàm bonus Princeps, magnum periculum esse, ne ita furioso gladium porrigatur.

RESPONSUM BEZÆ.

Respondet *Beza*. Si hæc ratio valet, mirum est profectò infinitam illam Dei sapientiam, quum in blasphemos, & eos qui à vero Dei cultu quoquo modo abducerent, tam acrem & severam legem instituerent, periculum istud vel non prospexisse, vel contempsisse. Deinde verò si hoc admittas, quid tandem in vlla reipublicæ parte constituetur? Quid rarius est in orbe terrarum fidelibus verbi ministris? Quid frequentius pseudoprophetis? Ergò interpretandæ religionis cura nulli committatur. Quis penè angulus terrarum à tyrannide est immunis? Ergo nullis tribuatur in alios potestas. —— Quid frequentius est judiciorum constupratione? Ergò nulli sedeant judices. —— Quid si igitur Dominus Principes nobis dederit, qui vel apertâ crudelitate, vel crassâ ignorantiâ, Christi regnum oppugnent? Primum omnium ad preces & lachry-

Tract. de hæret. à Magist. puniend.

lachrymas confugiat Ecclesia, & vitam emendet hæc enim sunt fidelium arma, quibus mundi furores expugnent.

ISIDORUS.

lib. 3. de summo bono,—quæst. 5. canon Principes,

Principes seculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, vt per eandem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant. Cæterum inter Ecclesiam potestates necessariç non essent, nisi, vt quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc impleat per disciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum, cœleste regnum proficit: vt qui intra Ecclesiam positi contra fidem, & disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam Ecclesiæ humilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat: & vt venerationem mereatur, virtutem potestatis impertiat. Cognoscant Principes seculi Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt: Nam sive augeatur pax, & disciplina Ecclesiæ per fideles principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit.

EPI-

EPISCOPI

Metropolis Corinthi ad

LEONEM IMPERATOREM.

—— Timotheum verò, ſicut ex his quæ ſunt ſcripta, cognovimus, nec regulariter nec conſequenter Sacerdotium obtinere proſpicimus. Quo tamen modo oporteat ejus cauſam, & ſanctas Eccleſias in illa conſtitutas regione diſponi, ſecundum Deum, in veſtræ pietatis & juſtitiæ pendet arbitrio.

Tomo 2. Concil. Epiſt. illuſt. perſ. pro Concil. Chalced.

Appen-

Appendicis loco, adjecimus responsa duo, ad totidem quæsita; quorum prius de supplicio Abiathari; alterum verò de institutione Sadochi.

QUÆSITUM PRIMUM.

QVæritur, quæ fuerit pœna quâ Salomon mulctavit Abiatharum?

Respondeo. Pœna precipua & essentialis fuit depositio à Sacerdotio; ex accidenti verò relegatio in Anathot, ne scilicet turbas daret Ierosolymis: probaturque hisce argumentis.

1. *Primò*. Autoritate præstantissimorum Theologorum, tum *Martyris, Iuelli, Whitakeri, Zepperi, Parei, Chamirei, Molinæi, Abboti, Davenantij* & *Leydensium* in locis jam adductis; tum aliorum, id ipsum asserentium.

Bezæ, tract. de hæret. à Magist. puniendis. Quid enim? an præter officium fecit David quum Levitarum ordines constitueret? an Salomon, quum Abiathari Sacerdotium abrogaret?

Lyræ, ad vers. 26. & 27. cap. 2. prior. Reg. Hic ponitur abjectio Abiathar de Summo Sacerdotio, & de civitate regia.

Pellicani, ad eundem locum. Removetur

vetur

vetur à ministerio, & à loco regali, quo minus machinari quid possit contra Regem, inter aulicos.

Vatabli, ibidem. Privavit eum dignitate Sacerdotali quâ fungebatur coram Iehova.

Piscatoris, ibidem. Abiatharis supplicium fuit relegatio: & depositio à Sacerdotio.

Tremellij & Junij, ad vers. 36. cap. 2. prior. Sam. Hoc impletum est, postquam Abiathar Sacerdotio à Schelomone abdicatus & Hanathotas ablegatus est. 1. Reg. 2. vers. 26.

Idem asserit *Paraphrastus Chaldaus*, ad vers. 27. cap. 2. prior. Reg. Et repudiavit Selomoh Abiathar, ne esset Sacerdos ministrans ante Dominum.

Similiter *Glossa ordinaria* ad vers. præcedentem ejusd. cap. Abiathar Sacerdotio expulsus, non tamen occisus.

Secundò, quia, vt rectè annotavit *Bertranus*, cap. 10. reip. Ebræorum, Sacerdotio exauthorari cœpit Abiathar superstite adhuc Davide, cum vnctus fuit Sadoch in Summum Sacerdotem, & postmodum relegatus in Anathot, ipso jam defuncto. Quod patet ex cap. 29. vers. 22. prior. Chron. & prior. Reg. cap. 2. 2.

vers.

verſ. 26. inter ſe collatis. Et probatur inſuper teſtimonio Theologorum.

Pellicani, ad verſ. 21. & 22. cap. 29 prior. Chron. —— Comitias ſolvit (David) multo omnium tripudio, Rege Salomone prius jam ſecundâ vice conſecrato & vncto à Sadoch Sacerdote ſummo, qui & ipſe eodem die ſummo pontificatui initiatus videtur, Abiathar reprobato.

Piſcatoris, ibidem. —— In Sacerdotem] ſcilicet ſummum, idque loco Abiatharis: qui cum Adonia conjuraverat, 1. Reg. 1. 17. Quemque Salomon poſtea ablegavit in rus ipſius, 1. Reg. 2. 26.

3. *Tertiò*, quia ipſiſſima pœna, quam Propheta prædixit Eli, lib. 1. Sam. cap. 2. verſ. 31. Et ſequentibus, fuit Abiatharo infligenda, at pœna denunciata Eli fuit tranſlatio Sacerdotij, vnde ſequitur Abiatharum oportuiſſe abdicari, per modum pœnæ; idque vero ſecundum literam: alias enim hæc omnia, eruditè & eleganter Auguſtinus myſticè interpretatur, lib. 17. de civit. Dei, cap. 5. de abrogando Sacerdotio Aharonico & ſubſtituendo ſacerdote Novi Teſtamenti, ſecundum ordinem Melchiſedechi.

Lyra, ad hunc locum Samuel. Ecce dies veniunt & præcidam Brachium tuum, id eſt,

eſt,poteſtatem ſummi Sacerdotij. Quod impletum fuit tempore Salomonis,qui abjecto Abiathar de ſummo Sacerdotio,qui deſcenderat de Heli, inſtituit Sadoch ſummum Sacerdotem,qui deſcenderat de Eleazar. Vt habetur,3.Reg.2. tunc rediit ſummum Sacerdotiũ ad primam lineam.

Martyr, ibidem. —— Ab initio Eleazari poſteritati pontificatus ceſſerat, qui poſtea tranſlatus fuit ad Eli, qui erat ex familia Ithamari. Cur vero id factum fuerit, non ſatis ex ſcripturis liquet. —— Hæc eſt deſcriptio eripiendi Sacerdotij, quod illius familiæ robur & firmamentum inſtar brachij erat.

Wolphius, cap. 7. comment. ad cap. 3. Eſdræ. Poſtea verò, cum Abiathar Adoniæ partes ſecutus eſſet, eo repulſo, Salomon Sadocum Pontificem declaraſſet, Sacerdotium ab Ithamari domo rurſus ad Eleazari familiam tranſlatum fuit: ſicut Dominus minitatus fuerat Heli. Quorum alterum 1.Reg. 2. & rurſus 3. Reg. 2. alterum extat ſcriptum.

Hugo Cardinalis, ad verſ. 27. cap. 2. 3.Regum. Nota,quod abjecto Abiathar à Sacerdotio, tranſlatum eſt Sacerdotium ad Sadoch: & de domo Ithamar ad domum Eleazar: vt Samuel prædixerat Heli 1.Reg. 3. 5. Abiathar enim erat de fami-

liâ Ithamar, Sadoch de familiâ Eleazar.

4. *Quartò*, quia remissâ aliquatenus utrâque pœnâ, non tamen restitutus fuit in integrum, vt-potè ad vicariam summi Sacerdotij functionem tantum-modò admissus. Vt liquet ex eo, quod vers. 4. cap. 4. prior. Reg. Sadoch & Abiathar conjunctim Sacerdotes dicuntur.

Ad quem locum, *Lyra*. Dicendum quod ipsum revocaverat vt ministraret in templo & viveret de altari, non tamen ad summum Sacerdotium. Et hoc futurum, prædictum Heli. Primo lib. cap. 2. *Futurum est autem, vt quicumque remanserit de domo tuâ veniat vt oret pro eo.* Et sequitur, *dicatque dimitte me obsecro ad vnam partem Sacerdotalem vt comedam buccellam panis.*

Pellicanus, ibidem. Sadoc summus Sacerdos quidem erat, Abiathar autem non nisi illius vice aliquando ministrabat, alioqui in Anathot proximam villam relegatus, ex gratia tantum Regis admittebatur ad ministerium, vt fuerat prædictum à Samuele, 1. Sam. cap. 2.

Cui sententententiæ adstipulantur Ebræorum Magistri, *Rabbi Levi ben Gerson & Abrabaniel*, erat hic (inquiunt) Abiathar

ipsissimus antea (cap. 2.) memoratus, etenim licet dejectus fuisset Sacerdotio summo, ecce Idoneus erat ad ministrandum tempore necessitatis, quum deprehenderetur Tsadok minimè capax ministerij.

Quintò, quia Sadoch Abiatharo fuit surrogatus. Etenim si solummodò per absentiam ex urbe, haud potuisset fungi suo munere Abiathar coram Iehova; re ipsa verò non fuisset abdicatus Sacerdotio; potuisset ac debuisset Sadochus absentis vices supplere: non autem substitui in locum Pontificis non exauthorati. Adde, si hoc admittatur, Abiatharum non fuisse depositum à Sacerdotio, duos eodem tempore extitisse Pontifices summos, Abiatharum scilicet tantummodò relegatum in Anathot & Sadochum summum agentem Sacerdotem Ierosolymis. At hoc absurdum, ergo & prius. 5.

At objiciunt, crimen fuisse politicum & per consequens politicè mulctandum, (nempe per relegationem) concedimus: sed inde non sequitur, non fuisse pontificatu exauthorandum. Quid enim? an crimen læsæ majestatis minus reddat hominem inhabilem ad functiones Ecclesiasticas, & Ministerio indignum, quam hære-

hæreſis, vel vita non ſatis probata, aut ſimile quid?

QUÆSITUM ALTERUM.

Quæritur, quo tempore fuerit Sadochus inſtitutus ſummus ſacerdos, & à quo?

Reſpondeo. Sadochum paulatim & ſucceſſivè priſtinæ dignitati reſtitutum. cœpiſſe quidem reſtitui tempore Davidis, præſertim cum vnctus fuit in ſummum ſacerdotem, vt habetur, 1. Chron. cap. 29. ſed defuncto jam Davide, & Abiatharo planè abdicato, tum demum fuiſſe omninò & in ſolidum inſtitutum, à Salomone.

Id quod conſtat ex rerum ſerie, & rectè à *Bertramo* fuit obſervatum, cap. 10. Reip. Ebræorum. Davide (inquit) adhuc ſuperſtite, Salomon vnctus eſt in Regem bis, primum præſentibus paucis ex ſervis Davidis, deinde coram univerſo agmine, & conventu Principum Iſraël. —— Ibi quoque —— vnctus eſt Tſadokus in ſacerdotem ſummum —— atque hoc modo Abiathar paulatim exauthorari cœpit. Et cap. 15. Tſadoki vnctionem præludia nominat, non ipſiſſimam inſtitutionem, quam poſtmodum peractam indicat textus ipſe, 1. Reg. 2. 35.

Et

Et quidem à Salomone, adstipulantibus Lyra & celebrioribus ex nostris Theologis. Sic enim *Lyra*, ad hunc locum. Et Sadoch Sacerdotem posuit (Rex Salomon) pro Abiathar. Cui consonat *Juellus*, Abiatharum Episcopum summovit & in ejus locum Sadocum surrogavit; ad eundem modum *Wolphius*. Salomon Sadocum Pontificem declaravit. Et *Chameirus*. In veteri lege Salomon deposuit Abiathar, & constituit in ejus locum Sadoch. Idem & iisdem penè verbis *Martyr, Pareus, Zepperus, Abbotus* & alij; nec aliter *Paraphrastes*, ad vers. 35. cap. 2. prior. Reg. Et Sadok Sacerdotem præfecit Rex pro Abiathar. Quibus colophonis vice addimus, *Josephum*, testem domesticum & rerum gentis suæ peritissimum; cujus verba hæc sunt; post hęc, abrogato Abiatharo Pontificatu, Rex (Salomon) solum Sadocum id Sacerdotium obtinere voluit. lib. 8. cap. 1.

Nec repugnat, locus Chron. lib. 1. cap. 29. Vbi legitur, universum populum unxisse Sadoch in Sacerdotem. Quibus verbis arbitrantur non nulli, intelligi autoritatem & consensum populi. Respondemus, eodem loco dici, populum unxisse Salomonem in Principem, cum tamen evidentissimè constet, ex cap. 1. prior.

Reg

Reg. non nisi jussu & autoritate Davidis, excluso suffragio populi, Salomonem constitutum fuisse Regem; vnde colligere licet, ex eo quod populus unxisse dicitur Sadocum in sacerdotem, non posse inferri, Sadocum institutum fuisse autoritate & suffragiis populi; non magis quam ex eâdem phrasi probari possit, Salomonem constitutum fuisse Regem, jussu & imperio comitiorum. Dicendum igitur, intelligenda hæc esse de præsentia & applausu seu acclamatione populi; ita tamen ut reluctari nullo modo potuerit.

Objiciunt alij, debuisse Sadocum jure hæreditario, idque ex lege divinâ surrogari Abiatharo; ac proinde non fuisse à Salomone constitutum sacerdotem autoritate regiâ. Respondemus ad id bifariam; *Primò*, præterquam quod optimâ ratione negari possit consequentia, perperam hoc objici, quandoquidem non quæritur, sit ne hæc potestas regia simpliciter absoluta & nullis adstricta legibus, quod non dicitur: sed tantum, quibus hæc potestas à Deo sit delegata, Regibus ne an verò populo. *Secundò*, jus hoc primogenituræ ad summum sacerdotium non satis evidenter liquere ex scripturis; neque etiam argumentis satis efficacibus probari posse, Sadochum inter Eleazaritas fuisse

ſe primogenitum. Ius iſtud ſanè videtur convelli pontificatu ſacerdotum Ithamaritarum, quibus in perpetuum ceſſiſſet ſacerdotalis dignitas, ſi ritè Deum coluiſſent; teſte Prophetâ, dicente ad Heli. *Idcirco dixit Iehovah Deus Iſraël: dicendo dixeram, quod domus tua, & domus patris tui ambularent coram me vſque in ſeculum, nunc autem dicit Jehovah: abſit à me, quia honorantes me, honorabo; contemnentes autem me, contemnentur*, 1. Sam. 2. 30.

OPTATUS

Lib. 3. contra

PARMENIONEM.

DONATUS ſolito furore ſucenſus, in hæc verba erupit: Quid eſt Imperatori cum Eccleſiâ: —— Iam tunc meditabatur contra præcepta Apoſtoli Pauli, Poteſtatibus & Regibus injuriam facere.

FINIS.

Errata ſic corrigenda.

Pag. 6. l. 9. conceſſam. pag. 19. l. 21. civilis. pag. 24. l. 24. conſtat. pag. 32. l. 22. Pontificem. pag. 41. l. 26. habebant.

La nota = significa alcuna
parti ò sentenza da potersi
Opporvi
La nota B. significa qualche
ragionevole risposta alle
controvista.
La nota ✱ alcune conclusioni
più evidenti —

Gaspar di Lago
Roma Luis de Acuña
Paris. Francisco Leytau

8oa
A FD/0013
UNIVERSIDAD DE SEVILLA
Biblioteca Universidad de Sevilla
600711061
i27843129
i27843257